

- omnes, ita Andreas Bodenstein *Carolstadius*, qui idem proponerebat & volebat secundum jus Mosaicum quoque judicandum.
2. Qui *indirectè*, sive qui non expresse Judaizant, Judæorum tamen hypotheses tacitè propugnant, ut qui legem de occidendis Hæreticis volunt introducendam.
 3. *Calviniani*, qui volunt, quod lex de poenâ capitali, qua fures puniuntur, sit iniqua, quia à Mose alia lex illis constituta, scilicet restitutio quadrupli.

ARTICULUS XIV.
DE
EVANGELIO.
APHORISMUS.

Evangelium est doctrina ex arcanò DEI consiliò hominibus post lapsum revelata, in quâ immensa misericordia divina erga totum genus humanum, propter Christum mediatorem, docetur, & remissio peccatorum, justitiæ, Spiritus S. omnis generis bona cum vitâ æternâ gratis promittuntur omnibus, qui beneficia divina sibi oblata verâ fide amplectuntur in gloriam sapientiæ & misericordiæ divinæ atque salutem generis humani.

Definitio
Evan-
gelii.

EXPLICATIO.

I. Evangelium.

1. Terminus hic non sumitur *in totâ suâ latitudine* pro quôvis bonò nunciò, etiam ordinis naturalis, ut 2. Sam. XVIII, 27. 2. Reg. VII, 9. *sed syntacticè, restrictè ad bonum nuncium gratiæ divinæ*: Neque *latissimè*, pro omni doctrinâ in libris Evangelicis comprehensâ, habentur enim in libris Evangelicis etiam dicta legalia: Neque *strictissimè*, pro solâ doctrinâ in libris Novi Testamenti de Christò exhibitò comprehensâ, *sed specialiter & propriè*, pro concione gratiæ à Christò partæ.

Ecc 2

2. Distin.